

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Vincentii Chartarii imagines deorum ... qui ab antiquis  
conlebantur**

**Cartari, Vincenzo**

**Moguntiae, 1687**

De Diana

[urn:nbn:de:bsz:31-341151](#)

Aurora licet Solem præcedat, ejusque nuncia habeatur; tamen non injuria Soli est à nobis postposita, quandoquidem illa ab hoc ortum trahat; Aurora enim à Solis radiis efficitur, cum primum ii nostrum hunc orbem mane illustrant, unde fit ut ab igne Solis aureo aer aurescat. Ex quo, occasione sumpta, Poëtae alii alias de ea fabulas confinxerunt, variis eam modis describentes, qui quidem ad rem nostram facere non videntur; quare eos tantum attingam, qui ad ejus imagines referri possint. Sed tamen nunquam me legisse memini, Aurora, quamvis in Deorum album ab antiquis esset relata, ullam apud eos statuam positam; nisi forte quod apud Pausaniam exstat, Athenis ex argilla fuisse Aurora simulacrum, Cephalum rapientis. Sed quomodo id esset effectum, mirum silentium. Quare ejus speciem abumbrare studebo ex iis, quæ de ea Poëtae dixerunt. Homerius eam coma flava ac aurata, Χειροβούλη id est, in aurco sedentem foliæ vesteque aurata inductam facit. Virgilius in opulculis eandem roscis manibus dicit sidera dispellere. Ovidius fingit illam, cum Phœbus est ex oriente proditurus, cali fulgentes portas patefacere, quæ recentibus rosis sint refertissimæ. Nonnulli facem ei tradunt, curruque vehi volunt, qui Pegaso alato equo trahatur, quem dicunt, eam à Jove impetrasse, post excussum ex eo Bellrophontem. Hoc eo fortasse refertur, quod tempus illud matutinum sit ad carmina pangenda commodissimum: nam Pegasus equus pede humum feriens, fontem Hippocrenem dictum effecit, qui postea a Muis est ita frequentatus. Homeristamen illi in XXIII. Odyss. equos adscribit, Lampum, & Phaethonta. Aliqui fingunt Auroram primo mane fulgentem, & calo existere, aerem puniceis rosis, & variorum generum floribus conspergere. Alii aliter ejus speciem describunt, ut cum colorem exprimant, quem Solis radii summo mane efficiunt, qui quidem medius est inter flavum atque rubrum.

## DE DIANA.

**D**IANAM veteres venationis Deam dixerunt, in ejusque tutela silvas ac lucos posuerunt, quod ea ab hominum consuetudine abhorrens, ibi vitam in venatione transegerit, quo melius virginitatem servaret; Quare ei Nymphæ habitum induerunt, in cæteris hujusmodi eam effinxerunt, quem Claudianus nobis lib. II. de Raptu Proserpinæ describit, his carminibus:

At Trivialeenis specie, & multus in ore  
Frater erat Phœbique, genas, & lumina Phœbi.  
Esse patres; solisque dabat discrimina sexus.  
Brachia nuda intent; levibus projecterat auric.  
Indociles errare comas, arcuque remisso,  
Ocianervus agit: pendent post terga sagittæ:  
Crispatior gemino uestis Cartyniacimba.  
Poplite fusa tenuis.

Hunc

Equus Au-  
toræ.

## COLEBANTUR IMAGINES.

45

Huic comites dabant virgines , quæ à Claudiano lib. III. Paneg. Stil. ita re-  
præsentantur ,

*Diana ep-  
mistes*

- veniunt humeros , & brachia nude  
Armateque manus jaculis , & targa sagittis,  
Incompta , pulcra que ramen , sudoribus ora  
Pulverulenta rubens : sexum nec cruda fatetur  
Virginitas : fine lege coma : duo cingula uestem  
Curetenuis pendere vetant.

Idem Claudianus Di. næ arcum vult esse corneum : aliter atque Ovidius , qui  
aureum facit , ita de Syringe dicens ;

- ritu quoque cincta Diana  
Falleret , & credi posset Latonia , si non  
Cornens huic arcus , finon foret aureus illi.

Ita de Diana veteres fabulabantur : & sicut sub Apollinis nomine Solem ,  
ita sub Diana Lunam coluerunt ; quain quidem Dianam vocaverunt , qua-  
si Devianam ; Luna enim ab Ecliptica sic dicta interdum deviat , quemad-  
modum venatores , per devia , ac silvas deviare solent , captantes feras ; quarum  
Diana cervus gratissimus fuit ; cuius rei illud fuit argumento , quod , cum  
Agamemnon ipsius cervum occidisset , ignarus , irata Dea ingentibus malis  
Græcorum exēcūtūm Aulide affixit , neque eos variis calamitatibus geneti-  
bus insectari deslitit , quoad Agamemnonis sanguine placaretur , Iphigenia  
eius filia ad ipsius aram adducta ; quæ , cum in eo esset , ut immolaretur , mu-  
minis miseratione sublata est , cerva supposita , cuius sanguine Deæ ira est  
mitigata , eaque ad Tauricam regionem translata , Sacerdos est effecta Dia-  
na ; ubi ex more advenas incolæ immolabant , præsertim Græcos , illuc de-  
latos ; hoc modo : postquam preces peregerint , hominis caput clava fori-  
unt ; truncum corpus proturbant è rupe : est enim in prærupta rupe tem-  
plum positum ; caput palo affixum ibi reservant . Dum tam impia sacra Iphi-  
genia ibi procuraret , ecce ejus frater Orestes , patricidium Colchis expiatu-  
rus , illuc appulit ; quem ut soror agnovit , noluit more cæterorum hospitum  
immolare : sed quia incolæ id passuri videbantur iniquiore animo , una cum  
eo fugam artispiuit , secum Deæ simulacrum , fasce lignorum absconditum  
asportantes , unde & Diana Fascellina est dicta , idque Ariciam ; quod op-  
pidum non longe Roma distat , detulerunt , ubi diu mos hospitum immolan-  
dorum servatus est . Sed cum postea Romanis sacrorum crudelitas displice-  
ret ( quamquam servi tantum ad aram mactarentur ) ad Laconas est Dia-  
na translata , ubi sacrificii consuetudo adolescentorum verberibus serva-  
batur : ritus erat hujusmodi : Sorte adolescentes aliquot ducebant , hos a-  
re Deæ impositos ita cædebant , ut uberrime toto è corpore sanguis man-  
ret : quod tantum abest , ut illi ægre ferrent , vel dolorem aliqua yultus immu-  
tatio-

tatione pre se ferrent, ut alacri animo inter se contenderent, quis virilius verbera illa perferret. Sacris praeerat fœmina, ea tantis per dum cædabantur pueri, signum Deæ praeferbat. Verum, si, quibus cædendi negotium datum esset, cum quopiam eorum, qui cedebantur ephœborum, vel ob speciem, vel ob natalium claritatem agerent Parcius, tunc signum alioquin propter brevitatem levissimum, ajunt eousque grave factum, ut sacerdos illud sustinere nequiret: quod ubi animadvertisset, in cædentes scilicet caussam conferebat, seque eorum culpa querebatur onere opprimi. Sed quamvis hujumodi ita inhumani sacrificij genus, Deam virginem, benignamque admodum dedecere videatur, tamen eam delectatam fuisse ajunt suam aram sanguine humano videre conspersam quod etiam Patris factitatum esse legimus apud Pausaniam in Achaicis, ubi quotannis virgo & puer qui forma essent præstantissima, Deæ maectabantur, quo ejus iram placarent, ideo conceptam, quod in ipsius æde spèius adolescens cum Sacerdote concubuisset: atque illi quidem brevi morbo consumpti, impietatis poenas Diana dederunt: consequuta vero est ex læsi numinis ira summa terra sterilitas, & misera hominum huc; quibus impio hoc sacrificio est obviam itum. Sed facie crediderim, inhumani hunc Deorum placendorum morem populis quibusdam acceptum esse referendum, ut qui natura saevi, innatam crudelitatem explore studerent, humanis hostiis alii atque alii Deo immolandis. Atqui non obscuris argumentis Diana se hominum sanguine haud delectari significavit, cum Iphigeniae loco, sibi jam sacrificaudæ, cervum supposuit. Quare hinc consuetudo apud veteres manavit, cervæ Diana immolandæ: quod olim à Romanis statis temporibus servabatur: atque ideo cervorum cornua in omnibus Diana templis suspensa videbantur, nisi quod Roma in monte Aventino, ubi & Diana fanum erat, bovis cornua, non cervi pendebant. Cujus rei causa Plutarchus in quæstionibus Romanis assert; quod, cum in Sabinis Antroni Coronatio bos insigni specie ac magnitudine nata fuisset, à vate deinde quodam monitus fuit, si quis eam bovem in Aventino immolasset, factum iri, ut ejus qui rem divinam fecisset, civitas totius Italæ imperio potiretur: homo, re credita, ut bovem immolare, statim Romam venit: Servus interim Servio regi, clam rem omnem indicavit: ille è vestigio Cornelio Sacerdoti imperavit, ut Antroni, antequam rem divinam faceret, in Tyberi se ablueret, rite præciparet (sic enim eos qui litare vellent facere confuesse) Antro cupide profectus, lavit: Servius interim occupavit, ac Diana bovem immolavit, & cornua templo affixit. Quare urbi Romæ, cumis qui sacrificasset, Romanus esset, imperium est partum; indeque mos ortus, bovis cornua in vestibulo hujus templi affigendi: quod eo fortasse referri etiam potest, quod hoc animal magnum cum Luna cognitionem habet, ut inferius dicemus: Lunam autem eandem esse, atque



Imago. 15.



atque Dianam, constat. Sed modo ad cervos revertamur, qui Diana sa-  
cri sunt habiti; non veteres interdum ejus simulacula cervinis pelibus veste-  
bant, ut apud Pausaniam est legere, qui refert in Arcadia quoddam Diana  
extare simulacrum, cervina pelle induitum, ex cuius humeris pharetra sa-  
gittarum plena pendebat; altera manu faciem ardenter, altera vero angues  
duos continebat, prope canis venaticus astabat. In quadam etiam Acha-  
ja parte, utidem refert Pausanias, Diana simulacrum erat, ex auro ac ebo-  
re confectum, id venaticis speciem referbat, pridie ante quam anniversarium Diana simu-  
lacrūm.  
sacrum facerent, Pompa Deæ magnificentissimo apparatu transmittebant:  
in ea virgo quæ Sacerdotio fungebatur, postrema omnium cervorum bijugo <sup>Imago 15.a.</sup>  
cursu vchebatur. Poetæ quoque Diana currum à candidissimis cervis tra- Diana cur-  
stum attribuunt; quemadmodum Claudianus in III. Stsic. Paneg. ita de ea <sup>rns.</sup>  
canit;

Dixit, & ex templo frondosa fertur ab Alpe

Trans pelago: cervi currus subiere jugales.

Eam dicunt curru vœtam, à velocissimis animalibus tracto, ideo, quod Equi Lunæ.  
Luna citissimo motu suum cursum absolvat, cum omnium errorum  
minimum orbem sit sortita. Aliis quoque Diis currus sunt dati, ut cœlis,  
quibus ii præsidere dicuntur, in orbem torqueri significantur. Deorum ve-  
xo cuique sua propria sunt animalia dicata, à quibus trahantur. Interdum le-  
gitur ejus currus ab equis tractus, quorum unum nigrum, alterum Album  
<sup>Bucatius lib. IV. Genealog. vult:</sup> nam ea non solum nocte sed die videtur.  
Porro & Bouri bigis vehi fertur, propter Lunæ scilicet cornua Festus de  
hac re ita, Mulus inquit, vehiculo Lunæ adhibebatur, quod tam ea sterilis  
sit, quam Mulus, vel quod, ut Mulus non suo genere, sed equis creatur, sic <sup>Mulus Luna</sup>  
ea solis, non suo fulgore luceat. Pausanias cum admiranda quæ in Jovis  
Olympii templo apud Elcos videbantur recenset dicit, ibi esse Dianam, quæ  
equum, ut sibi videbatur, ad cursum incitaret, et si, inquit, jumentis ferunt  
non equis Deam vehi, futili quadam de mulo fabula vulgata: neque quid-  
quam aliud de ea re dicit. Prudentius libro contra Symmachum antiquos  
scribit sterilem Vaccam Lunæ immolavisse, bigaque sterilium Vaccarum <sup>Juvencus Lu-</sup>  
eam vehi. Sunt qui & juvencos Lunæ currum trahere dixerunt: inter quos <sup>næ currum</sup>  
est Claudianus qui lib. III. de rapt. Proserp. Cærerem fingit tædas de igne  
etnæ ad amissam filiam querendam accendisse, sic dicens.

Tum ne deficerent, tantis erroribus ignes

Semper in occiduos, in sopitosque manore

Jussit, & arcano perfudit robora succo,

Quo Phaeton irrorat equos, quo Luna juvencas

Pausonius etiam Paullino scribens in hanc sententiam sic dicit:

Iam succedentes quaticebat Luna juvencas.

Blujus

Hujus rei eadem potest affiri, quæ superius, cum diceremus, cfr. M<sup>u</sup>lorum bigis vectaretur; nempe quia hæc animalia sterilitatem significant: nam, ut Xenophons scribit, & quotidie fieri nos videmus, tauris virilia absinduntur, ut imagis cicures, & ad terræ cultum aptiores reddantur, cum tamen prolis procreationi non sint amplius idonei: vel hoc animal Lunæ est sacrum propter cornuum similitudinem; nam in ejus simulacro, quod Nympham referebat, duo brevia cornua effingebantur. Et apud Ægyptios Lunæ bos dicabatur, cui ut Plinius lib. IIX. scribit, insignis in dextero latere canticans macula, cornibus Lunæ, crescere incipientis. Eadem etiam semestrem bovem sacrificabant, cum filiis recens natis nomina imponerent, septimo scilicet ab ortu die, vel decimo, secundum aliorum sententiam. Hoc honore veteres Lunam afficiebant, forte, ut gratias agerent, quod ejus opera fœtus mature prodisset in lucem; nam Luna cum sit humida, partum sape celeriore, facilioremque reddit. Quare cum mulieres parturirent, ejus opem implorabant, eam Lucinam nuncupantes, quo cito, absque ullo discrimine ea fœtum in lucem extraheret. Sed quod mulieres in pariendo Dianam Lucinam invocent, hujusmodi exstat fabula; ea statim atque ex Latonæ utero emersisset, ad matrem conversa, ei ad alterum fœtum educendum, opem tulit: quare olim Lucinam orabant, ut pericitantibus mulieribus præsens adesset, quo manibus suis inclusum fœtum excluderet, quam opem ipsa matri parturienti præstisset. Neque Diana solum, sed etiam Juno, ut inferius videbimus, Lucina est cognominata. Alij existimabant neutrā ita nominandam, sed aliam quandam mulierem, quæ usque ab Hyperboreis montibus Delum, suppetias Latonæ parturienti latura advenit: indeque ad alias gentes ejus nomen & cultus manavit, ut ubique ei templa, aræ statuæque consecrarentur, ut quæ omnium Deorum ortum præcessisse putaretur, cum ejus ope opus habuissent, ut in lucem ederentur. In quam sententiam Lycius quidam poeta, quemadmodum Pausanias refert, in hymno, quem scripsit in Dianam, eam dicit, Saturno antiquiore; quibusdamque nominibus eam insignit, quibus existimari possit, eam de Parcarum numero fuisse, hæc enim longe maximam sibi partem vendicant in partibus, ut suo loco dicemus. Sed anxia nimis hujus Deæ Lucinæ, cuimodi ea fuerit, aut unde emerserit pervestigatione aliis relicta, ad ejus simulacra exprimenda accedamus; quæ apud Athenienses non nisi tecta videbantur, ut narrat Pausanias. Ejus statua apud eosdem erat rude lignum, aut aliquid hujusmodi, nisi quod aliquam mulieris speciem informatam habebat, id semper erat tectum, nec ullius umquam aspectibus patuit. In quadam Achæa parte templum valde vetustum hujus Deæ exstabat, ubi ligneum simulacrum ostendebatur, sed tamen facies, manus atque pedes erant marmorei; cætera membra lineo velo obtegebantur; manuum altera in rectum porrigebatur, nihil tenens; sed clavis non absurde potuisset addi. Festus enim

Luna præ  
eß partus.

enim scriptum reliquit, clavem olim solere mulieribus tradi, ut eo instrumento quo portæ patet, facilis illis partus portenderetur: sed forte rem eandem Lucinæ manus aperita, ac extensa ostendebat, altera autem manus ardenter faciem præferebat; ea ratione, vel quod partus dolores igni æquentur; vel quod hæc Dea nascituris infantibus præluceret. Hujus tempora Dictamno veteres vinciebant; ea enim herba parturientibus imposita, multum prodest. Arcu armata eam olim affingebant, eo modo acutos dolores significantes, quos mulieres in partu sentiunt. Quare M. Tullius Cicero in Orationibus contra Verrem Dianæ simulacrum describens: dicit; altum erat, magnum, veste ad talos usque coniectum, facie juvenili, virginali aspectu, dextera ardenter faciem præferebat, sinistra arcum tenebat, sagittæque ex humeris pendebant. De face accensa idem scribit Pausanias, quoddam scilicet Dianaænæum simulacrum in Arcadia sex circiter pedes altum faciem gestasse: quod eo etiam fortasse referri potest, quod ea nocte lucens, viatoribus iter commonistret; quare ibi Hegenone, hoc est, Ductrix erat cognominata; sicut & Romæ in templo, quod in Palatio sibi dicatum esset Noctiluca dicebatur. Sed & aliis multis nominibus appellabatur, de quibus postea. Pausanias, cum Cypselli Corinthiorum tyrranni arcam Corinthi in Junonis templo positam describit, dicit, in eo exsculptas atque incisas esse multas imagines; quarum quædam erant aureæ, quædam eburnæ; inter quas Diana simulacrum videri alatum, dextera pardum ostentans, sinistra autem Leonem: cuius rei nullam se rationem afferre posse affirmat. Quare neque ego fateri dubitabo, me nescire, quid sibi id vellet. Quilibet ergo quod sibi videatur excogitet, per me licebit.

Diana ob tres facies, quas illi poëtae attribuerunt, Triformis, tergemina, *Diana tri-*  
ac Trivia est nuncupata. Neque Diana solum his nominibus est insignita, *formæ*,  
sed etiam Hecato: de qua Ovidius sic dicit;

*Ora vides Hecatos; in tres vergentia partes.*

Sed tamen idem amborum numen erat, quamvis nominibus inter se differant, ut diversæ efficacitatem, ac qualitates, effectusque qui ab una, eademque Dea manare credebantur, ob oculos poncentur. Quare est in *Hecate*. fabulis, Hecatem à patre Jove habere, ut elementis præcesset; nam ἑκατὸν centum significat, quo numero Græci aliquando infinitam designant multitudinem: quia Hecate infinitas habere potestates crederetur: Luna enī legem quasi imponere elementis; cunctisque ex eis coagmentatis videtur, nam illa mutata, & hæc quoq; mutantur. Aut Luna est Hecate dicta, quod in centum ei altariis, viridi ex cespite factis veteres sacrificarent, centumque victimas immolarent, quæ ut plurimum fues erant, atque oves: verum si sacrificium esset pro Imperatore, centum Leones aut aquilæ mactabantur. Atque ideo hoc sacrificium Hecatomba dicebatur. Neque tamen credide-

*Fax in Dia-*  
*namanibus.*

*Hecatomba.*

## 50 DEORUM QUI AB ANTIQ.

rini, semper tot hæc animalia, quæ in sacrificiis adhibebantur, fuisse vera,  
 sed interdum assimulata; solebant enim veteres nonnumquam ex odoratis  
 rebus, aut alia materia animal effingere immolandum, quod non nisi magna  
Victimæ simula.  
 cum difficultate inveniretur. Pauperes etiam cum pecuniam in veras victimas  
 erogare non possent, has fictas in sacrificiis (ut est auctor Suidas) suppone-  
 bant; idemque legere est apud Herodotum, cum dicit Ægyptios nulli alij  
 Deorum sicut sacrificasse, nisi Lunæ, aut Baccho, aut etiam festis illis,  
 quæ plenilunij tempore celebrassent, magnopere carentes vel a solo bellus  
 contactu aliis diebus à prædictis, quibus ex suis quoque carne absque reli-  
 gionis ullo metu comedebant: pauperes autem qui ob inopiam verum  
 suum sibi comparare non potuissent, simulatum sacrificasse. Appianus re-  
 fert Cyzicenos, quorum civitatem Proserpinæ a Jove dotis nomine da-  
 tam jactabant; cum nigrum bovem quotannis ei Dex immolare solerent,  
 & obsidione a Mithridate pressi, talem invenire non possent, frumentaceam  
 effinxisse; sed dum sacrificium apparerent, nigrum qualcum eorum ritus  
 requirebat, ex mariper medium hostium classem tandem in civitatem in-  
 gressam esse, & sponte ad Dex aram ubi accessisset, à populo publica  
 lætitia esse mactatam, maxima spe concepta ex fausto illo omne, fore ut  
 ex obsidione liberaretur: quod & brevi accidit; nam mithridates, multa in  
 ea obsidione incommoda perpeccus, ab incepto desistere est coactus. Dido  
 apud Virgilium postremum ante mortem sacrificium, Ayerni simulatis aquis  
 spargit, ubi Servius adnotat, apud veteres fuisse in more positum, in sa-  
 crificiis easimulare, quæ nullo pacto, aut vix nancisci potuissent. I-  
 dem alibi dicit, aquam qua Isidis templum aspergebatur, non semper  
 ex Nilo fuisse haustam, licet vulgo inde advecta dieeretur. Neque vero  
 solum simulæ victimæ verarum loco iis adscribantur, qui veras sacri-  
 ficare nequirent; sed manus quoque Deorum suppliciter exosculari, qui-  
 bus aliqua essent sacrificia peragenda, solebant quid ad aliquid immolan-  
 dum obstrici, cum se id praefare non posse viderent, Deos ipsorum  
 prompto animo inspecto, aliud sacrificium non expetituros arbitrabantur.  
 Consuetudo etiam apud veteres erat, Deorum simulacra osculandi; ut ex  
 Cicerone in orationibus contra Verrem intelligi potest; cum dicit Agri-  
 genti, quod oppidum est in Sicilia, æneum fuisse Herculis simulacrum,  
 quod os, atque mentum detrita haberet, propter frequentiam scilicet  
 eorum, qui co-venerationis gratia accederent. Prudentius cum cultus  
 rationem describeret, quo antiqui Solem prosequabantur, inter cetera  
 dicit, eos equis quoque, qui Solis curum traherent, pedes fuisse  
 osculatos. Sed iam ad Hecaten revertamur. Ea in triviis colebatur, ubi  
 canem ei sacrificabant, inconditis verbis, ac simulatibus preces concipi-  
 entes, ut Cererem ejus matrem (nam eandem Dianam, ac Proserpi-  
 main

Deorum  
 manus ex-  
 osculari.

## COLEBANTUR IMAGINES.

51

ram existimabant ) imitarentur , cum filiam amissam quereret. Mos fuit locupletum; ut singulis mensibus Lunæ sacrificarent , panceque; & alia in triviis proponerent . quæ mox ab inopibus , & egenis rapciemur hæc Hecates cœna dicebatur , quemadmodum Suidas refert ; qui dicit etiam , eamdem interdum se horribili forma ostendere , nempe ingentis hominis , qui caput serpentis haberet. Eadem dicta , atque efficta est triformalis , quod triviis scilicet præstat: alij dixerunt , atq; fortasse melius , eam ideo secundum Orpheum tria ora habere , quod Luna variis se aspectibus ostendat , quoque vires suas exserat in cœlo , ubi Luna appelletur ; in terris , ubi Diana dicitur ; & in penitissimis etiam inferorum locis , ubi Hecate , atque Proserpina nuncupetur : ea enim ad inferos descendere creditur , cum se nobis condit. Quæ ab Eusebio ita explicantur : Luna Hecate atque Triformis appellatur , ob varias , quas induit figuræ ; prout magis ad Solem accedit , vel ab eo recedit. Quare triplici est virtute prædicta , quarum una est , cum primum suum lumen hoc influit , ita rebus accretionem præbens : hunc vero Lunæ aspectum antiqui ostendebant , Lunæ simulacrum candidis , atque auratis vestibus induentes , accensamque facem ei præbentes in manus. Altera vero ejus vis est , cum medium lumen habet : quod calatho adumbrabatur , quo ejus sacra forebantur : nam dum Lunæ lumen in dies majora suscipit incrementa , fructus quoque quotidie magis maturescunt , qui ubi tempestivæ effecti fuerint , ex arboribus decerpti , in calathos reconduntur. Tertiis ejusdem status est , cum ad plenilunium pervenerit , qui vestibus subobscurus designatur. Lunæ quoque sicut & Apollini olim sacra erat Laurus , nam ab hoc illa lumen suscipit , ab eodemque colorem quemdam igneum , quem interdum facie præse fert , mutatur. Eidem papaver quoque veteres consecrarunt , ob multitudinem scilicet animalium , quos Lunæ orbem incolere stulta persuasione credebant. papaver enim sua forma civitatem refert , cum ejus caput ita incisum inœnia repræsentet , quæ intra sunt , granula multiplicia hominum multitudinem denotant. Sed non est mirum , promiscuæ vulgus ita delyrasse : nam & Philosophi sunt inventi qui opinarentur , Lunæ orbem non minus atque terram ab hominibus habitari : maculasque , quæ interdum in Luna existunt , oppida , sylvas , montesque esse dicenter , qui ibi essent : sed eorum commenta Plinius redarguit , afferens illas ex humiditate , quam ex terra ad se Luna attrahit , procreari. Pausanias in Corinthiacis scribit , præ cateris Diis in primis Hecaten coluisse Aeginetas , cuius apud eos ligneum signum , à Myrone fabrefactum existaret : hujus unicum tantum os , reliquum vero corpus uti truncus : nam primus Alcamenes Atheniensibus triplices fecit junctis corporibus , Hecates signum , quam Epipyrgidiam illi appellabant. Trium capitum , quibus Hecate

G. 2

præ-

DE ORUM QUI AB ANTIQ.

52

prædita erat , dexterum erat equinum , sinistrum canis , medium rusticani hominis , sed alii volunt , esse apri : quod forte magis cum Lunæ natura congruit , quæ , ut dicebamus , eadem est atque Diana , quatenus in terras vires suas exserit : aper vero optime in Dianam quadrat , hæc namque bellua semper in silvis degit : equinum caput ejus velocitati respondet , cum brevi temporis spatio summa cum velocitate suum cursum absolvat : canis confirmat id quod de ea dicebamus , cum nobis sese condit , vocari scilicet Proserpinam : inferorum enim Deo canis est sacer , cuius rei amplius nobis fidem facit Cerberus ille poctarum fabulis ita celebratus . Prudentius , cum in veterum superstitiones invehitur , pro quibus afferendis Symmachus tanquam pro aris , & focis certat , ita de Luna dicit .

*Et regnare simul caloque , Ereboque putatur :  
Nunc bijugas frenare boves , nunc sava sororum  
Agmina vepereo superis immittere flagro :  
Nunc etiam volucres capræcarum in terga sagittas.  
Spargere , terque suas eadem variare figuræ.  
Denique cum Luna est , sublustris splendet amictu :  
Cum succincta jacir calamos , latonia virgo est :  
Cum subnixa sedet solio , Plutonia conjux ,  
Imperiat Furiis , & dictat jura Megeræ ,  
Si verum quaris , Trivia sub nomine Damon .  
Tartareus colitur ,*

Porphyrius , quemadmodum Theodoretus Cyrensis Antistes refert , cum de cacodæmonibus scriberet , inter cætera dicit , Hecaten inferni veluti Reginam pro suo imperio , damonum aliquos in aerem ablegasse , alios in aquam , multos quoque in terram . Dixerunt præterea antiqui , Hecatem iis , qui maximo aliquo mœnore opprimerentur , spectrum quoddam immittere vepre solitam , quod subinde in alias , atque alias formas mutaretur , ut Suidas ex Aristophane refert , id scilicet visum interdum se bovem , alias mulum , nonnumquam formosissimam quoque mulierem , neque raro canem ostendisse : Quare Empusa appellabatur , quod uno pede incederet ; alii ejus meridie sese videndum præbere ; cum videlicet quibusdam ritibus manes exparentur . Quare in proverbium abiit , ut cum vellent eos denotare , qui varii essent , nunquamque eodem perseverarent statu , quique quales tandem essent , non aperient , eos dicent , Empusa mutabiliores : Lucianusque de saltationibus loquens , videbis inquit , saltatores eodem in tempore lumen in aliæ transmutari speciem , atque ipsum referre Protheum , quin & Empusam quæ sese in immumerabiles vertit formas . De alia quoque Lunæ imagine narrat Eusebius , quæ visibatur Apollinopoli , quod erat Ægypti oppi-

Imago 16.a.

Imago. 16.





oppidum; Homo erat albus, cuius caput erat accipitris: ejus candor innuebat, lunam non sua luce, sed alterius lucere, hoc est solis quam accipiter adumbrat, cum sit avis soli sacer, ut superius dicebamus, cum de Sole Imaginibus egimus.

De Iside apud veteres legitur, *Ægyptios eam nigris vestibus induisse*: ut Lunam, quæ pro Iside capitur ostenderent, per se opacam atque obscuram esse. Ejus statua Mulierem referebat, quæ duo cornua vaccæ instar in capite haberet, quare, ut scribit Herodotus, *Ægyptiis nefas erat, Vacca* *imminolare*, licet boves atque vitulos quo minus mactarent nulla religione impedirentur, cum Isis in Vaccam mutata fuisse dicatur à Jove, postquam cum ea concubuisse, ne Juno, re cognita de ea pœnas caperet, hæc apud Græcos Jo dicebatur, sed ubi in *Ægyptum* esset delata, His vocari cœpit. Effingebaturque dextera sistrum tenens, sinistra fistulam: quare ut Servius refert *Ægypti genus est credita*, ut per ejus simulacrum illius regionis natura adumbraretur, nam per fistrum, Nili accessum significabat, cum universam *Ægyptum* inundat; per fistulam omnium *Ægypti* lacunarum fluentiam ostendebat. Alij, ut Macrobius & Servius narrant, eam esse terram existimant, vel rerum naturam Soli subjacentem. Hincque est, quod continuatis uberibus corpus Deæ omne densetur, quia vel terræ, vel rerum naturæ alimento nutritur universitas: Atque ita etiam naturæ Imago est ab antiquis expressa. Sane hujusmodi simulacrum repertum Romæ fuit. Sub Leone X. Pontifice maximo. In Numismate Hadriani hæc eadem effigies videtur.

*Ægyptii*, cum naturam vellent innuere suis Hyeroglyphicis litteris, Vulturem depingebant, cuius ratio est, quemadmodum Marcellino atque *Ælian*o videtur; quod inter Vultures masculus non reperitur, sed omnes sunt fœminæ;

Masculi autem vicem Eurus subit, qui eas gravidas reddat, non secus atque Zephyrus vere, terram atque arbores fœcundet. Isidis etiam simulacri tempora ab rotone ornabantur, quam & sinistra gestabat, dextera autem naviculam: quæ fortasse ejus in *Ægyptum* adventum commemorabant: ubi & festi quidam dies Isidis naviculae, ut Lactantius scribit, erant instituti: nam falsum omnino est, quod fabulis traditur, eam scilicet in vaccam conversam, mare transasse; cum revera navi delata, illuc appulerit. Quare *Ægyptii* eam navigationibus præposuerunt, ab eaque felicem navibus cursum precabantur. Itaque Lucianus quodam in Dialogo Jovem introducit, Mercurio jubentem, ut Io mari in *Ægyptum* advéchat, ubi eam Isidem curet appellandam; numenque constituat, quod ea sit potestate præditum, ut ejus natus Nilus inundet, venti flent, nautæ incolumes conserventur. Apuleius Isidem Lib. de Asino aureo loquentem facit, in hæc fere verba; Cras mea religio incipiet, quæ tamen in omni æternitate perseveret; cum que meo iufitu hæc misericordia sit sedata, marisque in summam tranquillitatem sit reda-

*Natura.**Vultur na-  
turæ simbo-  
lum.*

## DEORUM QUI AB ANTIQ.

54

& cum , & idoneum ad navigationem redditum ; mei mihi sacerdotes naviculam sacrificabunt , qua meum transitum in memoriam reddicant : quo fortasse Suevi Germanorum populi spectarunt , qui testibus Tacito , atque Alexandro Neapolitano , Liburnam navem divino culta prosequabantur , banc veram Iidis imaginem esse sibi persuadentes . Sed Aegyptii , ut Alianus refert , ejus tempora serpente cingebant : idem apud Valerium Flaccum quoque legitur , qui & fistrum ei in manus tradit . Ovidius , cum in lib . Metamorph eam fingit Theletus in somnis visam , ita describit :

*Inachis ante thorum , pompa comitata sacrorum  
Aut stetit , aut visa est : inerant lunaria fronte  
Cornua cum spicis , nitido fulgentibus auro ,  
Et regale decus , cum qualatror Annibis ,  
Santaque Bubastis , variisque coloribus Apis :  
Quique premit vocem , ditoque silentia suadet :  
Sistraque erant , numquamque satis quasitus Osiris ,  
Plenaque sonniferis serpens peregrina venenis .*

Apuleius quoque secundum quietem se eandem vidisse testatur , cum esset Asinus ; atque iis coloribus depingit , ut manifeste Lunam innuit patet , quam Aegyptii hujusmodi rerum involucris venerabantur . Quare & Martianus Capella , suam Philologiam , Lunæ orbem ingressam , multa ibi sifra , Cereris faces , Diana arcum , Cybeles timpana , illamque figuram tri-formem vidisse dicit . Sed ad Apuleium revertamur , qui in XII . lib . de Asino aureo scribit , eam sibi dormienti pelago medio venerandos etiam Diis vultus attollentem esse visam (nam Poëta fingunt , Solem , Lunam , cætera que astra cum occidunt , in oceanum se immergere , ex eoque cum oriuntur , emergere ) atque de hinc paulatim toto corpore pellucidum simulacrum , excusso pelago , ante se constitisse . Ei jam primum crines uberrimi , prolixique , & sensim intorti per divina colla passim dispersi ; molliter deflucent , corona multi formis variis floribus sublimem distinxerat vesticem ; cuius media quidem super frontem plenam rotunditas in modum speculi vel immo argumentum Lunæ , candidum lumen emicabat , dextra lavaq ; fultis insurgentibus viperatum cohomba spicis etiam cerealibus , & super porrectis multicolor byssio tenui pertexta , nunc albo candore lucida , nunc croceo flore lutea , roseo rubore flammida , & quæ longe , longeq ; cujusvis constitutus obtutum , palla nigerrima splendescens , atro nitore , quæ circum circa remeans , & sub dextrum latus ad humerum levum recurrens , umeronis vicem , dejecta parte laciniæ , multiplici contabulatione dependula ad ultimas horas , modulis simbriarum decoriter confluuerat per intactam extremitatem ; & in ipsa ejus planicie stellæ dispersæ corruscabant , eorumque media semestris luna flammicos spirabat ignes . Quaqua tamen insignis illius pallæ perflic-

COLEBANTUR IMAGINES.

55

perfluebat ambitus, individuo nexu corona totis floribus, totisque constructa pomis, adhærebat. Jam gestamina longe diversa: nam dextra quidem serebat æcum crepitaculum, cuius per angustam laminam in modum balhei recurvata, trajectæ mediæ paucæ virgulae, crispante brachio tergeminos jactus reddebat argutum sonum; lœvavero cymbium dependebat aureum: cuius ansula, qua parte conspicua est insurgebat aspis, caput extollens arduum, cervicibus late tunescientibus: pedes ambrocos tegebant sole, palmæ vicitricis foliis intextæ. Ita Apuleius nobis Isidem adumbrat: cui non injuria albam vestem, luteam, atque rubram attribuit; quod Luna scilicet colorem subinde mutat: ex quo multi tempus quale sit furorum præfigunt; nam rubor ventos, nigror pluvias, candor serenitatem portendit; quemadmodum Virgilii lib. 1. Georg. dicit;

*Luna revertentes quamprimum colligit ignes,  
Si nigrum obscurò comprehenderit aera cornu,  
Maximus agricolis, pelagoque parabitur imber.  
At si virgineum suffuderit ore ruborem  
Venus erit: vento semper rubet aurea Phœbe.  
Sin ortu in quarto (namque is certissimus auctor)  
Pura, nec obtusa per cœlum coribus ibit:  
Totus & ille dies, & qui nasceretur ab illo,  
Exactum ad mensem pluvia, ventisque carebunt.*

Vestis autem tota nigra significat, ut sapius est à nobis dictum, non stra, sed aliena luce lucere. Nonnulli opinantur, sistrum ad antiquorum morem respicere, qui nocte sub dio æneis, ac ferreis vasis maximum strepitum edebant tempore defectus Luna, ita existimante, se Lunæ laboribus confulere posse, nam eclipseos causam ignorantes, quæ est terra inter Solem, atque Lunam oppositus, eam yenicorum carminibus vim pati dicebant: nam erant, qui feluis beneficis vel Lunam è cœlo deducere posse jactarent; ut Virgilii in Pharmaceutria dicit:

*Carmina vel cœlo possunt deducere Lunam.*

De medea legitur (si credere fas est) eam vel invitam Lunam è cœlo in terram compulisse. Lucanus, cum de Thessalis beneficis loquitur, eos asserte primos, qui vim stellis intulerint, Lunamque nigrum effecerint, cum maximè lucida esse deberet, eamdemque in terras pertractam, ea facere cogerent, quæ eis libuissent. Apud Apuleium quædam beneficia maxima quæ quæ mala Diis i. rogare, ac stellis pro sua libidine sumen adimere poste gloriatur: vis enim illorum carminum, non solum contra Lunam valere existimabatur, sed etiam contra Solem, stellas universas, & vel contra Deos ipsos tam superos, quam inferos: quibus ii in suis execrandis sacris, postquam multa impiaissima patrascent, minari solebant, ut Porphyrius ad quemdam Agyptium Sa-

cer-

## DE ORUM QUI AB ANTIQ.

56  
cerdotem scribit, ita Theodorito referente, se cœlum diffracturos, ut illi fortasse præcipites huc darentur, arcanaque Isidis publicaturos, Charonem etiam coacturos, ne animas amplius transuehat; itemque Osiridis membra Typhoni dilanianda, ac passim spargenda præbituros aliasque plures insanias minas addebat contra eum Deum, quem ad sibi parendum compelle restudebant. Fortasse huc refertur, quod apud Ovidium de Fauno, & Pico, montis Aventini numinibus legitur; eos scilicet Jovem carminibus ē cœlis in terras attraxisse, ut sibi ad interrogata responderet. Hanc nefariam artem Romani maximis pœnis insectabantur; cuius apud eos Aptuleius factus reus, vix ex eorum manibus evasit. In eadem omnium peritissimi Thessalorum veneficiorum calathum effudit. Quare, cum Poetæ preces ad Lunam concipiunt, (sive Lunam illam, sive Dianam, sive Hecatēm, sive alio hujusmodi nomine appellant, eodem tendit) ut eam suis votis facilem reddant, eidem lumen purum, atque nulla labe contaminatum optant, ut que Thessali sui eam carminibus, ē cœlo non deducant, ut Phædriæ nutrix apud Senecam in Hippolyto facit, ita dicens;

*O magna silvas inter, & lucos Dea,  
Claramque cœli fidus, & noctis decus,  
Cujus reluet mundus alterna faæe,  
Hecate triformis, en ades, cæptis favens.*

Ac paulo post subjicit;

*- Sicut lucidi vultus ferant,  
Et nuberupta, cornibus puris eas;  
Sic te regentem frena nocturni aetheris,  
Detrahere numquam Thessali cantus queant,  
Nullusque dc te gloriam pastor ferat.*

*E*ndymion. Id ea ratione dicit, quod in fabulis exstat, Lunam Endymionis pastoris amore captam, eum quodam in monte seorsim sopivisse, ut liberius ejus oculis frueretur: quod ideo est fictum, quoniam Endymion, ut Plinius lib. II. tradit, primus hominum Lunæ cursum invenerit: Alexander quoque Aphroditeus in problematibus, Endymionem, inquit, rerum cœlestium a prime studiosum fuisse, maximamque diligentiam in eo adhibuisse, ut Lunæ cursum causamque cur subinde aspectum mutet, pervestitigaret; quia vero interdiu dormiret, noctu autem vigilaret. Lunæ amoribus indulgere esse dictum. Idem fortasse Thessalis hominibus accommodari posset, qui cum toti essent in Lunæ natura indaganda, existinati postea sunt, eam cœlo deducere, tunc scilicet cum ea luminis defectam pateretur: Nam stultum vulgus tunc eam ex Thessalorum carminibus laborare putabant: cuius laboribus ut consulerent, maximos sonitus edebant, quibus ejus dolores magnopere

illi  
em  
en-  
ia-  
elle  
&  
ns è  
am  
fa-  
nes-  
ens,  
Lu-  
e a-  
lcm  
ut-  
trix

is a-  
s of-  
s lib.  
oque  
n ap-  
Lunæ  
a ve-  
e esse  
icum  
o de-  
ultum  
us la-  
s ma-  
opere

Imago. 17



## COLEBANTUR IMAGINES.

57

opere mitigari arbitrabantur, perinde atque ut & plinius scribit, strepitus illi arminum murmur impedirent, quominus ad Lunæ aures perveniret: ideoque nihil illi posset officere. Quare Propertius asserit, Lunam carminibus è curru deturbatum iri, nisi resonantia æra succurerent: & Juvenalis cum de quaquam loquacissima muliere loqueretur, dicit, nihil jam amplius opus esse strepitum æncis vasculis edere, cum ea sola sua loquacitate tantum ob strepat, ut luna a Veneficiis tueri queat. Sistrum in Isidis manu secundum quorundam sententiam Lunæ sonum significat, quem reddit dum cælestes orbes ambit, hoc nonsolum æneum sed & argenteum atque aureum solebant esse, ut Apuleius inquit, cum dum Isidis mysteriis loquatur. In hoc quemadmodum cælius Calcagninus refert, quatuor facies erant extrinsecus exscultæ, quæ poterant in orbem torqueri; hæ inferiorem hunc orbem sub Luna existentem designabant: in quo res cunctæ ex quatuor alimentis concretæ, ortui atque interitu sunt obnoxiae. Intrinsecus in extrema parte felœ humana facie incidebant, duo quoque capita visebantur, quæ sub prædictis quatuor movebantur, harum una Isidem referebat, altera Nephéhiam, quæ rerum procreationem atque interitum innuebant, ex elementorum mutatione proficiscentem. Felis Lunæ erat Symbolum, nam, quemadmodum Fabulis fictum est, ab Ovidioque refertur cum Dijsfuga è Typhonis furore in Ægyptum evasissent, neque ibi se adinodum tuto degere posse putarent, alij aliorum animalium formas induerunt Dianaque in felœ se convertit, cum animal hoc sit sane quam varium, quoddque noctu cernat, cuique oculi sub inde mutentur, luce aut immunita, prout Luna crescit aut decrescit, hinc facie humana figurabant, ut lunæ motum non temere fieri, sed superiori quadam mente regi ostenderent, hujusmodi arcana erant fistri significationes tantum à veteribus in Isidis sacris celebrati: quod Apuleius ut superius memoravimus, ei in manus tradidit de Vasculo quod sinistra gestat, potest etiam, præter ea quæ attigimus dici, eo tumentium aquarum, quæ ex Lunæ humiditate incrementum habent, motum significari, quamobrem fluxionem atque refluxionem maris, nonnulli in Lunam crescentem & decrescentem detulerunt, sed ex Lunæ imaginibus non solum plurima quæ ad rerum naturalium cognitionem pertinent, discere possumus: verum quod magis est Operæ pretium, ex ejusdem contemplatione multa hauriamus licet, quæ moribus conformandis inserviant. Atque diligenter animadvertisamus quæ de eare D. Ambrosius scripsit, qui ex Lunæ lumine, quod subinde mutatur, nobis rerum humanarum incertum, ac fluxum statum ponit ob oculos, monetque, ne eaducis his, quæ statim effluant, nitamur. Proptereaque aliqui senserunt olim patritios Romanos calceis lunulas affixas habuisse, ut eas intuentes rerum hæcum instabilitatis commonesierent; idque ne prosperis rerum suc-

H

cessu-

cessibus tumescerent : divitiae namque , ac cætera , quæ a mortalibus tantæ fuit , Lunæ conferri possunt , quæ alias totæ est lucida ; alias tantum de suo splendore imminuit , ut vix cernatur ; alias etiam totum amisit , ut nū quæ extare videatur : ita & illa interdum maximam sui præbent intuentibus admirationem , quæ mox elapsa , hominem antea clarissimum , desituant , omnibusque despiciatissimum reddant . Sed postquam in hanc tractationem delapsi sumus , eam continuemus , cum nihil de Luna dicendum supersit . Hunc lunularum morem sunt qui in Arcades referant ; qui se omnium Græcorum antiquissimos , atque nobilissimos jactabant ; nam se ante Lunæ procreationem extitisse volebant : in quam opinionem devenerant , quod Arcadia in Peloponnesi medio esset , si longitudinem spectes , universamque Græciam altitudine superaret , aliisque esset montibus referta . Quare diluvii tempore soli Arcades ferruntur evasisse , cum se ad montium vertices recepissent . Ibi degentes , quo ad aquæ decrevissent : tum autem ex cavernis emergentes , Lunamque ceraentes , tamquam veteri una cum cæteris rebus abolita , recens aliam natam sibi persuasisse : hincque occasione sumpta , se omnium antiquissimos , ac nobilissimos esse jactitabant , quandoquidem vel ipsam Lunam tempore anteverterent . Fieri igitur potest , ut & Romani lunulis se insignirent , ut id scilicet eorum nobilitatis esset argumentum . Athenienses quoque , cum se omnium hominum antiquissimos et terraque ortos probare vellent , aureas cicadas variis modis capillis explicatas ferabant : cuius rei testis est Suidas , Athenæus autem hoc ad Athenicium delicias refert , ubi adolescentes frontem cicadis aureis redimire solebant .

## DE JOVE.

**T**ANTUM sibi Jupiter apud veteres gloriae peperit , post Saturnum parentem è cœlo in terras deturbatum , ut , quemadmodum in fabulis exstat , Deorum maximus apud omnes fuerit habitus . Quare passim ei templæ , æræ statuæque ponebantur ; ab universis Rex mundi Dominus vocari coepit , perinde atque omnia sua potestate contineret . Eundem Optimum , Maximum appellauit ; cum ejus bonitas per cuncta dividi , omnibus professe , nihil prætermittere , suæ beneficentia expers putaretur ; neque solum benefacere vellet , sed & maxime omnium posset : cum ita potentia polleret , ut nihil esset , quod sub ejus potestate non caderet . Itaque apud Latinos Jupiter à juvando nomen habet , sicut apud Græcos ἀπὸ τοῦ Ζεύς , quod est à vivendo , eo quod cunctis rebus vitam suppeditare crederetur . Qua propter non injuria Platonici eum pro mundi anima , quaqua permeante , soluerunt . Fuerunt etiam qui existimarent , eum divinam mentem esse , quæ hauc rerum universitatem procreavit , procreatamque summa eam providentia administrat ; quem omnes Deum appellamus . De hoc Jamblichus in libro de mysteriis Egyptiorum loquens , ita fere dicit : quandoquidem Deus inter universa eminet , suumque splendorem tamquam ab omnibus separatus emitit , at-